



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Sortes, Qvibvs, Ne Temere Cadant, Temperandis; Vel, Si  
Temere Dvcvntvr, Castigandis, Divini Ivdicii Æqvitas  
Semper Adest**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1645**

§. 3. Britanniæ Dux à fratre imperfecto citatus, ad Dei tribunal, se sistere cogitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52306](#)

134 Cap. VI. Metuendum esse ijs,

non innocentia iuuat... Ergo videns nihil prodesse, quidquid obtenderet, quidquid obtestaretur; ineuitabili iam morte, vociferari incipit, & magnis clamoribus Capi- taneum citare, præsentique diem dicere. *Post tres hebdomades*, inquit, *bac ipsa noctis hora*, redde Deo iusta rationem, de sanguine meo. Sed quasi ventis locutus esset, ita ne- glectus, hora noctis duodecima, strangula- tus, orto die, ad terrorem reliquorum, cū titulo seditiosi in præcordijs affixo, expo- situs est. Ex ea hora Capitaneus consterna- tus, semper in metu vixit. Elapo termino hebdomadarum, ipsa rursus hora duodeci- ma noctis, exiit domo, ad excubias visitan- das, ac, ferè in puncto temporis eiusdem, è ponte nauali lapsus, submersusq; docuit, neque in bello quidem, vbi disciplina seue- rior necessaria est, nimis præcipitandum.

§. III.

*Britannia Dux à fratre interfecto citatus, ad  
Dei tribunal, se sistere cogitur.*

Eneas Sylvius Europæ histor. §. 43.  
Quod militiæ Ducì accidit, idem etiam alijs ducibus euenit. Britanniæ Armoricæ Franciscus Dux præfuit, qui reducens ex Anglia fratrem Aegidium læsæ maiestatis falsò accusatum, in carcere, barbara im- mani-

manitate , interemit. Non habuit frater  
quò confugeret, nisi ad Deum, ad quem  
prouocauit; effecitq;, vt Dux Franciscus,  
intra breue tempus , de medio sublatus, ne-  
que vitam , neque principatum retineret.  
Nam paulò ante mortem adiurauit vnum  
è Franciscana familia Patrem, vti iret , fra-  
triq; Duci renunciaret, intra diem quadra-  
gesimum , ei , coram summo iudice Deo ,  
caussam esse peragendam , ac proinde se si-  
steret. Franciscanus mandato obsequens ,  
ad Ducem , in finibus Normanniae, moran-  
tem profectus, fratris mortem & prouoca-  
tionem denunciauit. Ea denunciatione  
Dux territus, illicò malè habere cæpit , &  
crescente in dies morbo , ad condictum di-  
em , expirauit. Scilicet , ô Deus , tu parasti Psal. 98.  
*directiones : iudicium & iustitiam in Iacob tu 4.*  
fecisti , contra fratrem Esau olim, nunc au-  
tem , pro fratre , contra Franciscum Du-  
cem; non solùm dum *parasti directiones*, hoc  
est , leges contra homicidium , rectissimas ,  
& ad hominis dirigendos mores, crudelita-  
tēmq; reprimendam , aptissimas ; sed etiam  
dum contra eundem transgressorēm *iudi-  
cum & iustitiam* apertissimam exercuisti; ne-  
que in annum quidem integrum distulisti.

I 4                    Nimi

Nimirum etsi ad tempus patiatur Deus innocentes affligi, cædi, occidi: non obliuiscitur tamen impiorum, quos sæpe, in terris, sæpe etiam in futuro seculo, plectit. Hoc iudicium, altè cordi imprimite, ô fratres, inter quos sæpe æmulatio parit dissensionem, dissensio exitium; sicut & concordia incrementum. Siquidem, vt Poëta cecinit:

*Non caret effectu, quod voluere duo.*

§. IV.

*In hostem immitis, ad Deum Iudicem, in ius vocatus, prescripto die, è vita, atq; ad Iudicem discedit.*

Addo huic Duci alterum Ducem, non iam cum fratre, sed cum hoste, immitius agentem. Genuensium triremes, è Liguria, aduersus piratas, emissæ, biremem Gotholanam ceperunt aliquando. Ibi victoriâ insolentes, gubernatorem biremis, extra Drepanum, in ignominiam Siculorum Gotholanorumque, nocturno tempore, in furcam suspenderunt. Ille, vt vitam conseruat, ad preces se dimisit; excusationes obtendit, nihil unquam se Genuensisibus nocuisse, protestatus. Omnia frustra. Ut ergo tandem intellexit, plus odiū gentis, quam æquitatem, apud Genuensem trierarchum, valere,

Fulges l.  
B. C. 6.